



**R. P. Fr. Ioannis Poncii, Corcagia-Hiberni, Ordinis Ff.
Minorvm, Sacræ Theologiæ Lectoris Ivbilati, Olim in
Collegio Romano S. Isidori Primarij Professoris;
Philosophiæ Ad Mentem Scoti Cvrsvs Integer**

Poncius, Joannes

Lugduni, 1659

5. An quælibet species insima habeat differentiam vnam simplicem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95688](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95688)

lam, neque enim sequitur : relatio non potest intelligi quin intelligatur terminus, ergo terminus includitur formaliter in relatione. *Et si queratur*, cur non posset intelligi rationalitas non intellecta sensitiuitate, si non ex eo quod sensibilitas includatur formaliter in rationalitate? *Respondeo*, ex eo id prouenire, quod effectus proueniens à rationalitate, & in ordine ad quem intelligeretur rationalitas, tanquam principium, deberet etiam prouenire à sensitiuitate, licet nō esset eadem formalitas, quæ corresponderet utrique, quia formalitas, in qua effectus ille conueniret cum effectibus proueniens solum ab aliis animalibus irrationalibus, corresponderet sensitiuitati, illa autem formalitas, in qua disconueniret & differret essentialiter ab effectibus aliorum animalium, corresponderet rationalitati.

37 *Obiicies sexto* : Verum est dicere quod omne rationale per rationalitatem competentem soli homini sit animal, & quod omne sensitiuum sit viuens & corpus & substantia : ergo differentia inferior includit superiores gradus formaliter, rationalitas nimirum animalitatem, & sensitiuitas vitam & corporeitatem, & substantiam.

Respondeo distinguendo antecedens : verum est dicere quod omne rationale sit animal realiter & identice, ac etiam materialiter, concedo; formaliter, nego; & similiter distinguo consequens.

Dices : hæc est prædicatio formalis : hoc rationale est animal, & illud rationale est animal : ergo animal prædicatur non solum materialiter & identice, sed etiam formaliter de rationali. Probat per antecedens quia est prædicatio superioris de inferiori, animal enim est superius ad rationale, quandoquidem latius patet quam rationale.

38 *Respondeo* distinguendo antecedens : si designetur per ly *hoc rationale* Petrus aut Paulus aut vlla alia res realiter existens, in qua includitur rationalitas, concedo antecedens, quia reuera Petrus includit formaliter animal; si designetur per ly *hoc rationale* indiuiduum conceptu sub ratione alicuius includentis solum hæccitatem & rationalitatem, nego antecedens, quia ut si nullo modo includit animalitatem, nec per modum superioris, nec per modum æqualis, nec per modum formæ vlla ratione, & consequenter nequit prædicatione formali, nec etiam identice, nec vlla ratione prædicari de ipsa vere, sicut nec abstractum potest prædicari de concreto. Vnde distinguo consequens : animal prædicatur formaliter de hoc rationali, designata per ly *hoc* re illa, in qua includitur rationalitas & animalitas, concedo consequentiam; designato indiuiduo proprio ipsius rationalitatis constante ex sola rationalitate realiter, & hæccitate, nego consequentiam. Itaque sicut prædicatur de albo formaliter quod sit dulce, intelligendo per album illam rem, quæ est alba, & in qua est dulcedo, licet non prædicetur formaliter de albo, vtrum album est, quia dulcedo non includitur in albedine nec competit pariter ratione albedinis; ita potest prædicari de rationali quod sit animal etiam formaliter, intelligendo per rationale rem illam, quæ est rationalis, & tamen non potest de rationali, vt rationalis est, formaliter prædicari quod sit animal, quia non competit illi rei, quæ est rationalis, animalitas ratione rationalitatis formaliter. Nec refert quod animalitas sit superius ad rationalitatem, quia hoc non sufficit vt prædicetur formaliter de rationalitate, sed ulterius requiritur quod includatur in rationalitate.

Iuxta hoc posset responderi ad obiectionem alio modo distinguendo antecedens : omne rationale vt rationale formaliter est animal, nego; omne rationale specificariue loquendo, id est omnis res, quæ est rationalis, est formaliter animal, concedo, & nego consequentiam.

39 *Obiicies septimo ex Auerſa* : Genus non est vnum quid, sed in eo latent multa, secundum Philosophum 7. Met. 13, id est, inquit Auerſa, genus non perfecte præscindit à differentiis, sed implicite continet multas species & differentias : ergo includit genus differentias, & multo magis, aut æque differentia genus.

Respondeo concedendo authoritatem Philosophi, & negando expositionem Auerſæ, quæ & gratis affertur, & contra ipsammet, quia dictum Philosophi verum est de

omni genere, sed secundum Auerſam aliqua genera perfecte præscindunt & non continent differentias actualiter & formaliter, nec includuntur actualiter & formaliter in illis : ergo male explicauit Philosophum, & contra seipsum. Itaque sensus Philosophi est, quod genus non sit vnum quid sicut indiuiduum, nec vnum quid sicut species, quæ dicit totam essentiam rei, in qua includitur; sed quod sit vnum quid dicens ordinem ad multa distinctæ speciei, quæ latent in ipso, quantum ad hoc quod dicat ordinem ad illa, & quod possit contrahi ad illa.

40 *Obiicies octauo ex eodem* : in tantum aliquod prædicatum vniuersale & commune perfecte præscindit à subiecto, de quo dicitur, in quantum potest de alio subiecto prædicari : ergo vbi est aliquod prædicatum affixum alicui subiecto ita, vt non possit conuenire alteri subiecto, non perfecte præscindit ab illo subiecto : ergo quæcumque differentia, diuisiua generis alicuius, nequit conuenire alteri generi, non præscindit perfecte ab illo genere, & consequenter includit ipsum formaliter.

Respondeo primo : si antecedens sit verum sic, vt quodcumque prædicatum possit reperiri cum alio subiecto, perfecte præscindat ab altero subiecto, tunc sequi contra Auerſam, quod substantia, quæ potest reperiri cum spiritualitate, perfecte præscindat a corpore & corporeitate, sicut animal à rationalitate, quandoquidem possit reperiri cum irrationalitate.

41 *Respondeo secundo* concessio antecedenti distinguendo consequens primum : si sit ita affixum alicui subiecto, de quo formaliter prædicatur, ita vt non possit prædicari de alio subiecto formaliter, transeat consequentia; si ita sit affixum alicui subiecto, de quo formaliter non prædicatur, nego consequentiam, & nego etiam secundam consequentiam, quia differentia contrahens, verbi gratia rationalitas, licet sit ita affixa generi huic, verbi gratia animali, vt non possit competere alteri, tamen quia non prædicatur formaliter, aut prædicatione formali de animali, ideo potest perfectissime ab ipso præscindere.

Respondeo tertio, negando antecedens : non enim ex eo, quod sit aliquod prædicatum semper coniunctum cum aliquo subiecto, sequitur quod non perfecte præscindat; nam siue sic coniungatur, siue non, perfecte præscindit, modò distinguatur formaliter, & possit concipi, non concepta alia ratione, aut re à qua præscindere dicitur; alias rationalitas humana non posset præscindere à risibilitate, nec è contra.

42 Alias rationes affert ex ente, quod putat non præscindere perfecte à suis differentiis; & ex singulari vt sic, quod non præscindit perfecte ab hoc & illo singulari. Sed quantum ad primum de ente suo loco in Metaphysica quid dicendum sit apparebit, modò sufficit supponere, vel quod præscindat perfecte, vt communiter tenent Scotistæ, vel si non perfecte præscindat, quod sit discrimen inter illud ac prædicata generica, vt communiter tenent Thomistæ, ac recentiores. Quantum ad secundum negandum est, singulare vt sic, dicere aliquem conceptum communem determinatum præscindentem iuxta dicta suprà, vnde non est eodem modo discurrendum de ipso ac de generibus, seu speciebus, seu aliis gradibus communibus, qui dicunt conceptum vnum determinatum præscindentem.

QVÆSTIO V.

An qualibet species infima habeat differentiam vnam simplicem.

43 *D* Vobis modis potest considerari quod species infima, v. g. homo, constituitur & distinguatur ab omnibus aliis speciebus. *Primo* per vnicam tantum differentiam, quæ sit connexibilis cum illa specie ita, vt semper habeatur, vbi habetur illa species, & nullibi habeatur, nisi in illa specie : sicut v. g. si rationalitas soli homini conueniret, tunc per rationalitatem solam distingueretur species humana ab omnibus aliis speciebus, tanquam per differentiam vltimam; & dico tanquam per differentiam vltimam, quia sine dubio non per solam rationalitatem distingueretur homo ab omnibus aliis rebus; nam per animalitatem distinguitur ab omnibus speciebus non contentis sub animali, vt à lapide & ligno : sed non distinguitur

Solutio
aliorum
rationum

Duobus
modis potest
species
infima
distingui
ab aliis
speciebus.

ab illis per animalitatem, tanquam per differentiam ultimam; quia animalitas est ulterius contrahibilis per rationalitatem; & per animalitatem non distinguitur homo ab omnibus omnino speciebus distinctis ab ipso, neque enim per eam distinguitur à bruto. Differentia verò ultima censenda est illa, quæ distinguit speciem ab omnibus omnino speciebus à se distinctis. Si hoc modo constitutur species infima, differentia infima erit formalitas simplex.

44 *Alio modo posset species infima constitui in esse distincti ab omnibus aliis speciebus non per unam differentiam, quia nulla una posset assignari, quæ esset ita conuertibilis cum illa specie, quin conueniret alicui alteri speciei, sed per plures differentias, quarum quælibet seorsim sumpta posset competere aliquibus aliis speciebus; vtræque verò simul sumpta nequeat ulli alteri speciei conuenire: verbi gratia, si rationalitas competens homini secundum rationem suam formalem posset competere Angelis, illa sola non posset esse differentia infima hominis; unde addenda erit aliqua alia, verbi gratia mortalitas, quæ etiam competit aliis speciebus distinctis, ut bruto; sed vtræque simul, verbi gratia mortalitas & rationalitas non conuenit ulli speciei, nisi homini. Si hoc modo constituantur species infima, certum est quod differentia infima non sit una, sed duplex, vel si duæ non sufficiunt, triplex.*

Prima sententia est, quod differentia infima non possint esse simplices: ita veteres quidam Aristotelis sequaces, Themistius 2. Post. cap. 20. Philoponus 16. cap. 14. Auerroes 7. Meta. 43. quibus valde fauet Porphyrius, quia definitio, quam dat, differentia, non videtur competere ulli vni differentia, quæ esset infima, ut postea videbimus: quare videtur non existimasse quod daretur vlla una differentia, quæ esset infima seu conuertibilis cum specie infima.

Secunda sententia est Auerse 9. 13. sect. 3. quod aliqua species habeant differentiam infimam conuertibilem, quæ sit simplex & una, aliqua non habeant.

Tertia sententia communissima est, quod omnes species infimæ habeant aliquam vnā simplicem differentiam. Ita D. Thom. 2. Post. lect. 13. quem præter suos sequuntur recentiores communiter, citatur etiam Scotus noster 9. 27. vniuersalium, quem in eo sensu Scotista omnes sequuntur.

CONCLUSIO I.

45 *Dantur aliqua differentia simplices conuertibiles cum specie infima. Hæc est communissima contra primam sententiam, & probatur manifeste; quia rationalitas est vna differentia conuertibilis cum homine & nulli alteri speciei conueniens: ergo datur aliqua differentia vna simplex conuertibilis cum specie infima.*

Dices rationalitatem competere Angelis. Respondent Thomista hoc esse falsum, quia rationalitas est principium discurrendi: sed Angeli non possunt discurre. Hæc responsio non debet nobis Scotistis sufficere, qui existimamus Angelos etiam discurre.

Itaque respondeo aliter rationalitatem, prout est principium quo discurrendi seu intelligendi cum dependentia à phantasmatis, non conuenire Angelis: sic autem accipimus rationalitatem, prout est differentia infima hominis cum ipso conuertibilis, & sic nulli alteri speciei quam humanæ potest conuenire, ut conuenit omni homini.

CONCLUSIO II.

46 *Potest aliqua differentia competere speciei infimæ alicui generis, quæ non conuenit ulli alteri speciei talis generis, sed conueniat tamen aliis speciebus non contentis sub illo genere, nec tamen ut diffiniatur illa species, quatenus distinguitur essentialiter ab aliis rebus, debet in definitione illius alia differentia poni, sed sufficit ponere genus & illam differentiam, quæ à ceteris speciebus illius generis distinguitur. Hæc in terminis est nullius.*

Probatur prima pars, quia esse intellectuum ut sic abstrahendo à modo particulari intelligendi cum discursu, aut sine discursu, cum dependentia à phantasmatis, aut sine dependentia, prout solummodo dicit posse cognoscere per cognitionem intellectus seu cognitionem spirituales, conuenit speciei infimæ humanæ & non conuenit bruto, aut ulli consequenter alteri speciei contentæ

sub animali; conuenit tamen sine dubio Angelis, imo ipsi Deo: ergo datur aliqua differentia competens speciei infimæ, quæ non conuenit ulli alij contentæ sub illo genere, conuenit tamen aliis rebus.

Secunda pars patet, quia eo ipso quo diceretur, quod homo esset animal intellectuum, intelligendo per intellectuum, id quod iam declaratum est, nempe principium intelligendi abstrahendo à modo particulari quo intelligeret, distingueretur sufficienter ab Angelis, quibuscum conueniret in illa intellectiuitate, quia nullus Angelus est animal, & distingueretur ab omnibus aliis animalibus per illam intellectiuitatem: ergo per illam definitionem sine additione ullius alterius differentia declararetur natura eius sufficienter, quatenus distingueretur specie ab omnibus aliis rebus distinctæ speciei. Et hinc patet frustra addidisse antiquos in definitione hominis præter rationale morale, eo scilicet quod in rationalitate conueniret cum Angelis ac Deo; nam quamuis cum illis in illa conueniret intelligendo per rationalitatem intellectiuitatem ut sic, tamen non conueniret cum ipsis in animalitate.

47 *Hinc sequitur posse speciem infimam defini per duas differentias, quarum neutra esset cum ipsa conuertibilis: nam si diceretur quod homo esset viuens, sensitiuum, intellectuale, hoc est potens sentire & intelligere, definiretur ut distinguitur ab omnibus rebus, sicut describeretur dicendo quod esset animal intellectuale aut intellectuum: sed in illa definitione ponuntur duæ differentia, quarum neutra est cum homine conuertibilis, quandoquidem sensitiuitas conueniat brutis, & intellectiuitas Angelis; vtræque tamen, simul sumptæ, sunt cum homine conuertibiles, quia nullum aliud anima, nec Angelus est sensitiuum intellectuale. Imo quando non reperitur differentia aliqua conuertibilis cum aliqua specie, illa species deberet defini vel per genus & differentiam inconuertibilem, vel per duas differentias, quæ simul essent conuertibiles, & seorsim non essent; & credo antiquiores Philosophos nihil aliud voluisse.*

48 *Obiicit contra primam partem huius conclusionis: illa differentia quæ soli vni speciei alicuius generis competet, sed competet tamen aliis speciebus non contentis sub illo genere, esset differentia infima, & non esset: & esset etiam differentia subalterna, & non esset: sed hoc est absurdum: ergo non potest dari talis differentia. Probat maior, quia esset infima & non subalterna, quandoquidem non constitueret vllum genus, & non esset infima, sed subalterna, quandoquidem esset prædicabilis de pluribus differentibus specie in quale quid, verbi gratia intellectiuitas de homine & Angelis.*

Respondeo illam differentiam non esse infimam, quia non est prædicabilis tantum de numero differentibus, sed de differentibus etiam specie: erit ergo sub altera, quandoquidem sit prædicabilis de pluribus differentibus specie in quale quid.

Ad id autem quod opponitur, nimirum quod non constituat aliquod genus, Respondetur potest primo non esse necesse, quod omnis differentia subalterna constituat genus, sed solum id competere debet differentiis subordinatis inter se essentialiter, quarum vna scilicet necessariò præsupponit alteram, sicut sensitiuitas præsupponit corporeitatem, & rationalitas accepta pro principio cognoscendi cum dependentia ad phantasmata præsupponit sensitiuitatem.

Et si quæras, quænam censenda sint differentia hoc modo subordinata; Respondeo, omnes illas, quatum vna magis late patet quam altera, & quatum altera nequit haberi absque illa, quæ magis late patet: huiusmodi enim talem habent subordinationem, ut quæ minus late patet dicatur posterior, quæ magis late patet dicatur prior, prioritate scilicet, à qua non valet subistendi consequentia.

49 *Responderi potest secundo ad illud ipsum, quod differentia omnis quæ potest esse in pluribus speciebus constituat etiam genus: nam substantia intellectualis est genus respectu hominis & Angeli tam bene, quam substantia sensitiua est genus respectu hominis & bruti, est enim non*

Alia differentia non debet in definitione poni.

Potest species infima per duas differentias defini.

Dantur aliqua differentia simplices.

Responsio Thomistarum.

Alia differentia conuenit speciei infimæ, quæ nulli alteri speciei conuenit sub illo genere, conuenit tamen aliis rebus.

minus de ipsis prædicabile in quid incomplete. Differentia vero ipsius sunt sensitiuitas, per quam contrahitur ad hominem, & insensitiuitas, per quam contrahitur ad Angelos: intelligo autem per insensitiuitatem aliquid positum, ad quod sequitur negatio sensitiuitatis.

Dices: sensitiuitas est quid superius ad intellectualitatem illam, quæ est in homine, quandoquidem sit constitutum animalis, quod est genus hominis, & magis late patens quam homo: ergo nequit esse differentia contractiva substantiæ intellectualis, quia differentia contractiva est inferior ad genus quod contrahit, & minus late patens.

Confirmatur, quia alias sensitiuitas esset prius & posterior intellectualitate, & consequenter magis late patens & minus late patens, quod videtur absurdum.

Respondeo distinguendo antecedens: quantum ad hoc quod pluribus corporibus conueniat quam rationalitas, concedo antecedens; simpliciter, nego antecedens & consequentiam; ad cuius probationem dico quod aliqua differentia contractiva possit esse magis late patens simpliciter, aut æque late patens quam genus, ita ut in tot speciebus possit reperiri quot genus, modo non reperitur in omnibus illis speciebus, in quibus reperitur genus.

eadem formalitas potest esse prior & posterior alia secundum diuersas considerationes.

50 Ad confirmationem dico quod eadem formalitas possit esse superius & inferius respectu alterius formalitatis, secundum diuersas tamen considerationes; superius quidem, quatenus consideratur ut quid potens existere in aliquibus, in quibus potest existere altera formalitas, & in aliis, in quibus non potest existere; inferius vero, quatenus consideratur illa alia formalitas similiter potens existere in iis, in quibus altera existit, & etiam in aliis; verbi gratia si consideretur animalitas aut sensitiuitas, ut potens existere in hominibus, in quibus existit intellectualitas, & animalitas, & sensitiuitas sunt superiora, & rationalitas est quid inferius, quia in rebus illis, in quibus reperitur animalitas cum intellectualitate & sine intellectualitate, non valet subsistendi consequentia ab animalitate ad rationalitatem, bene tamen valet à rationalitate ad animalitatem.

Rursus, si consideretur intellectualitas, ut potens est existere in hominibus cum animalitate seu sensitiuitate, & in Angelis absque sensitiuitate, intellectualitas erit superius & contractiuum ipsius ad homines erit sensitiuitas; verum enim est quod ex omnibus illis rebus quæcumque est sensitiua, est intellectualis, non verò quæcumque erit intellectualis erit sensitiua.

Fatendum tamen, ex illis formalitatibus, quæ hoc modo se habent, neutram simpliciter se habere ut superius, aut ut inferius; quia non valet simpliciter dicere: hæc res est sensitiua, ergo est intellectualis; quandoquidem brutum est sensitiuum, & non est intellectuale: nec valet simpliciter dicere: hæc res est intellectualis, ergo est sensitiua; quia Angelus est intellectualis & non sensitiuus. Hoc tamen non obstant, quælibet ex illis potest esse differentia contractiva alterius in ordine ad diuersas res, quia sensitiuitas potest esse contractiva intellectualitatis ad animalia, & intellectualitas potest esse contractiva sensitiuitatis ad talia animalia, v. g. ad homines, & hac ratione potest altera altera esse posterior & prior secundum quid, hoc est in ordine ad aliquam determinatam rerum multitudinem.

CONCLUSIO III.

Quælibet species infima habet aliquam differentiam infimam.

51 Probabile est quamlibet speciem infimam habere aliquam simplicem differentiam, qua distinguatur ab omnibus omnino rebus distincta speciei. Hæc est iuxta tertiam sententiam communiorum. Probat Complutensis hanc conclusionem, quia differentia sumitur à forma, sed quælibet res distincta speciei ab alia re habet suam propriam formam quæ sit simplex: ergo debet habere propriam differentiam, quæ sit etiam simplex & vna.

Confirmatur, quia quælibet species habet proprietatem vnam simplicem, ergo & differentiam.

Hæc probatio supponit aliqua incerta, nimirum differentiam quamlibet sumi à sola forma, quod falsum est: deinde, in quolibet re esse vnicam solam formam physicam, quod etiam non est verum, ut suo loco ostendimus. Sed admittis tamen his suppositis, adhuc non suffi-

cit, quia negari potest consequentia; nam vnica forma physica propria posset esse principium duarum differentiarum metaphysicarum, quarum neutra seorsim sumpta sit propria, utraque simul sumpta sit propria: id quod euidentius est in sensitiuitate & intellectualitate, quæ desumuntur ab anima rationali in homine secundum aduersarios, & quarum tamen neutra est propria homini, cum sensitiuitas competat brutis, intellectualitas Angelis. Et sane forma physica animæ posset esse propria homini, & distincta ab aliis formis & entitatibus, quatenus esset principium illarum duarum differentiarum, quamuis non esset principium vllius vnus differentiarum simplicis, quæ esset soli homini propria.

Ad confirmationem responderi posset negando antecedens, quod sane incertum est atque consequens: quicumque enim negaret dari differentiam simplicem vnam, negaret dari propriam passionem simplicem; quod maxime verum est de propriis passionibus physicis consistentibus in accidentibus, ut in calore vel frigore.

52 Probatur ergo aliter conclusio, quia aliqua species habet vnicam propriam differentiam, ut patet ex prima conclusione: ergo & omnis. Probatur consequentia, quia non est maior ratio de vna, quam de omnibus.

Confirmatur: si esset aliqua ratio cur vna species non haberet vnam differentiam propriam, maxime quia haberet duas aut plures, quarum collectio esset ipsi propria, licet nulla vna sola ex illis esset propria: sed hæc non impedit quominus haberet aliquam vnam propriam, quia licet species infima hominis habeat pro differentia sensitiuitatem & intellectualitatem, quarum collectione distinguitur ab omnibus aliis speciebus; tamen habet ulterius rationalitatem, hoc est principium intelligendi cum dependentia à phantasmatibus, quæ est simplex, & illi soli propria.

53 Probatur secundo conclusio, quia est verisimile quod vnaquæque res habeat aliquam vnam operationem propriam, aut effectum proprium, qui effectus non competit vlli alteri rei distinctæ speciei: ergo habet etiam aliquod vnum principium formale quo metaphysicum, ratione cuius formaliter, & ut quo competit ipsi illa operatio: sed illud vnum principium erit differentia simplex istius rei, quia distinguatur ab omni alia re diuersa speciei, ut est euidentius: ergo quælibet species infima habebit vnicam differentiam simplicem.

Probari solet tertio authoritate Philosophi 4. Top. loco 20. dicentis quasdam differentias esse, quæ dicuntur de pluribus, quam suæ species, & non sunt conuertibiles cum ipsis; quasdam quæ dicuntur de æqualibus, quæ sunt conuertibiles. Sed hæc probatio non concludit: tum quia non dicit quod omnes species habent differentias conuertibiles: tum quia non dicit, quod differentia illa, quæ sunt conuertibiles, sint simplices, quod tamen esset necesse ad probationem huius conclusionis.

Melior authoritas Philosophi pro conclusione est illa, quam habet in Antepredicamentis cap. 4. vbi ait, diuerforum generum, & non subalternorum diuersas esse differentias, & nullam posse esse ipsis communem: hoc enim videretur esse falsum, si non daretur in quolibet specie differentia vna simplex, quæ sit soli illi speciei cōpetens.

Sed ad hanc etiam authoritatem responderi posset, quod loquatur Philosophus non de vna simplici differentia, sed vel de vna simplici, vel de vna composita ex pluribus, ita ut verum sit, quod omne genus contractum ad species debeat habere aliquam differentiam, siue simplicem, siue compositam, per quam contrahatur ad vnamquamque ex illis speciebus, quæ non possit competere vlli alteri generi, cui non subordinatur illud genus per modum superioris, aut inferioris.

54 Obiicit primò Philosophum 2. Post. 14. vbi agens de generibus specierum ait: Talia eoque sumenda sunt, quousque tot fuerint sumpta, ut vnumquodque quidem illorum pluribus competat, cuncta autem simul non ad plura se extendant. Quam doctrinam aliis etiam locis proponit; ergo sentit non dari simplices differentias infimas.

Respondent Complutenses cum S. Thoma, quod Philosophus loquatur de differentiis.

Alia probatio ex Philosopho.

Sed

Sed contra, quia falsum est quod debeamus in definitionibus, quæ sunt etiam per accidentia, ponere plura accidentia, quorum quodlibet seorsim sumptum nõ sit conuertibile; nam quando definimus hominem per discursum, qui est accidens ipsi, illud vnum accidens est conuertibile cum ipso: neque enim vllus discursus secundum Thomistas conuenit vlli alij speciei quam homini; neque discursus cum dependentia ad phantasmata conuenit vlli alij, etiam in sententia Scotistarum.

Respondetur ergo melius, Philosophum intelligendum non vniuersaliter de omnibus definitionibus, sed de definitionibus rerum, quatum non cognoscimus differentias simplices conuertibiles cum illis, vnde nego consequentiam.

Ceteræ obiectiones, quæ ex Auerſa proponi possent contra differentias simplices conuertibiles, solum probant secundam conclusionem; nec est opus propterea hic eas sigillatim exprimere & soluere.

An differentia sit perfectior genere.

55. *Quæres*, an differentia sit perfectior genere. *Respondetur breuiter*, si consideretur differentia, vt est actus & completus, & genus, quatenus est quid potentiale, differentiam esse perfectiorem, quia vniuersaliter perfectiorem, vt tale, est perfectius perfectibili, quæ tale; si verò consideretur genus vt aliquid per se potens subsistere independentem à differentia, & differentia, vt impotens subsistere independentem à differentia, & differentia, vt impotens subsistere absque genere, sub hac consideratione genus est perfectius. Quod si detur aliqua differentia, cui per se soli competit formaliter aliqua operatio, quæ perfectior sit quam operatio illa, quæ soli generi conuenit, differentia erit perfectior sub hac ratione; verbi gratia si discurrere competit præcise rationalitati hominis ita, vt per se non requirat animalitatem, tanquam principium formale partiale, aut totale, quado quidem discurrere sit perfectior operatio quam vlla, quæ conuenit soli animalitati, ideo rationalitas simpliciter est præferenda animalitati, licet secundum aliquas alias considerationes possit dici imperfectior.

Differentia vltima non conuenit in aliqua ratione differentie vltima.

Quæres secundo, an differentia vltima conueniant in aliqua ratione communi abstracta, quæ sit differentia vltima. Et dico notanter, quæ sit differentia vltima, quia an conueniant in ratione entis, eamque includant formaliter, est alia quæstio, quam tractabo in Metaphysica. An verò includant differentias superiores, resolutum est supra: vnde difficultas sola manet, an conueniant in aliqua ratione communi, quæ sit differentia vltima. Ad quam breuiter

Respondetur negativè cum communi Scotistarum. *Primo*, quia sequeretur quod illa ratio differentia, vt sic non esset differentia vltima, quandoquidem contraheretur differentia vltima vt sic ad esse talis differentia vltima: hoc autem implicat in adiecto. *Secundo*: quia daretur processus in infinitum; nam quia ratione rationalitas & brutalitas, v.g. conuenirent in ratione differentie vltima vt sic, etiam differentia illa, quibus contraheretur differentia vlt. vt sic ad illas, deberent conuenire in alia aliqua ratione, & discouenire in aliis, & sic in infinitum. *Tertio*, quia reperitur differentia vltima in omnibus prædicamentis: sed prædicamenta non conueniunt in vlla ratione, nisi in transcendentes formalitatibus, nullæ autem formalitates transcendentes possunt esse differentia, vt patet. *Quarto*, quia ipsæmet rationalitates omnes non conueniunt in aliqua vna ratione abstracta ab illis, sicut nec humanitates omnes: sed minus possunt omnes differentia vlt. conuenire, quam rationalitates omnes. Omitto alias rationes, quia hæc abudè sufficiunt.

Fundamentum oppositæ sententiæ est quod omnes differentia vlt. conueniant in vno cõceptu, & descriptione, & quod inter se maior similitudinem habeant, quæ cū alijs rebus, aut formalitatibus; & præterea, quod intellectus possit esse certus de aliquo quod sit differentia vltima, & incertus an hæc, vel illa. Sed ad hæc omnia patet responsio ex dictis supra de indiuiduo num. 18. & ex dicendis in Metaphysica in quæstione de præcisione entis.

Aduertendum solum hanc resolutionem currere non

solum de differentia simpliciter vltima, qualis est indiuidualis, nec de differentia vltima specifica, qualis supponitur esse rationalitas respectu hominis: sed de differentia vlt. cuiuscumque gradus generici seu specifici positi directe in quocumque prædicamento; quia propterea est eadem ratio de omnibus, vt consideranti patet. Possunt tamen differentia non vltima conuenire in vna aliqua ratione abstracta, vt v.g. aggregatum ex sensitiuitate & rationalitate in homine, & aggregatum ex sensitiuitate & brutalitate in bruto, ac aliis similibus, à quibus potest abstrahi conceptus sensitiuitatis, quod adeo manifestum est, vt non indigeat probatione.

QVÆSTIO VLTIMA.

De definitione differentie secundo intensionaliter, seu logicè sumptæ.

56. *Definitio*, quæ Porphyrius assignauit differentia hoc modo acceptæ est, quod sit illud, quod de pluribus differentibus specie in quale quid prædicari potest: de qua definitione cõtrouertitur, sit ne bona, necne. Certum autem est quod differentia bene dicatur prædicari de pluribus, quia in hoc conuenit cū omnibus vniuersalibus, vnde est genus huius definitionis, cetera sunt vt differentia eius; & per hoc quod dicitur prædicari in quale, distinguitur à genere & specie, quæ prædicantur in quid: per hoc autem quod dicitur prædicari in quale quia, hoc est per modum partis essentialis determinatiui, distinguitur à proprio, & accidente, quæ quid prædicantur in quale, sed nõ in quale quid, quia nõ prædicantur essentialiter: & licet accidentia dicantur prædicari in quale quid à Porphyrio; tamen nõ intelligit hoc de prædicari in quale quid, hoc est essentialiter, sicut intelligit in hac definitione.

Definitio Porphyriana differentia non est bona.

57. Tota ergo difficultas reducitur ad illa particulam *specie differentibus*: & ratio difficultatis est primo quod videatur superflue; quia eo ipso, quo diceretur differentia prædicari de pluribus in quale quid, sufficienter declararetur natura eius, vt patet ex iam dictis; secundo, quia illa particula facit vt definitio non conueniat omni differentia, quia non infima, quandoquidem hæc de solis numero differentibus sit prædicabilis.

Prima sententia est illam definitionem esse bonam: ita Albertus tract. 5. prædic. c. 6. Caiet. & Scotus hic, quos alij Thomistæ sequuntur, & nominatim Ioannes a S. Thomas, quorum fundamentum potissimum consistere videtur in autoritate Porphyrii, cuius doctrina quantum fieri potest cõmode defendi debet, præsertim quantum ad ea, quæ tractat in hoc opusculo, & præterea in solutionibus, quas dant ad difficultates oppositas, quas infra proponemus.

Secunda sententia communissima inter Dialecticos est, illam definitionem non esse bonam, respectu omnis differentia, sed solum respectu differentiarum subalternarum. Hanc tenet Doolit. q. 27. vniuers. cum suis omnibus, D. Th. lib. de demonstratione c. 14. etiam cum suis pro maiori parte, quos sequuntur recentiores, & nominatim Compunctentes hic quæst. 1. Auerſa sect. 2.

CONCLUSIO.

58. *Prædicta definitio non est bona definitio differentia et sic communis omni differentia.* Hæc est cum secunda sententia contra primam, & patet ex rationibus dubitandi propositis, quia scilicet superfluit illa particula *differentibus specie*, & quia non conuenit omni differentia, neque enim conuenit infimæ.

Ad primam ex his rationibus non respondent aduersarij. Ad secundam autem varias adhibent responsiones. Albertus dicit definiri hic differentiam vt differentiam, ad quam per accidens est quod aliqua differentia non possit prædicari de pluribus speciebus.

Contra, quia si sit de ratione differentia vt sic prædicari posse de pluribus specie distinctis, nõ potest nec per accidens cõpetere vlli differentia quod nõ possit prædicari de pluribus specie, sed debet necessario competere omni differentia quod possit prædicari de pluribus speciebus, sicut debet necessario competere omni animali quod sit sensitiuum ex eo quod sit de ratione animalis vt sic.

Confirmatur, quia ideo colligitur quod natura humana nõ sit genus, quia nõ est prædicabilis de pluribus differentibus